

CONCILIA GENERALIA,

ET PROVINCIALIA, GRÆCA ET LATINA QVOTQVOT REPERIRI POTVERVNT,

Item

EPISTOLÆ DECRETALES,

Et Romanor. Pontific. vitæ,

OMNIA STVDIO, ET INDVSTRIA R. D. SEVERINI BINII S. THEOL. DOCTOR. METROP. ECCLES. COLON. CANONICI Presbyteri, &c.

Recognita, Aucta, Notis nunc ſecundò Illuſtrata, & Hiſtoricæ Methodo digeſta.

Ad S. D. N. Paulum Papam V.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Ioannis Gymnici.
Anno M. DC. XVIII.

Cum gratia & Priuileg. S. Cæſar. Maieſtatis.

de la Libra. Rl. de Salam.ca de la Compañia de Jesus

CONCILIA
GENERALIA,
ET
PROVINCIALIA, GRÆCA
ET LATINA QVÆCVNQVE
REPERIRI POTVERVNT;

ITEM EPISTOLÆ DECRETALES,
Et Romanor. Pontific. Vitæ.

OMNIA STVDIO ET INDVSTRIA

REVER. D. SEVERINI BINII, SS. THEOLO-
giæ Doctoris & Profeſſoris, Metrop. Eccleſ. Colon.
Canonici, & Presbyteri C.

Ex Manuſcriptis, aliiſq; emendatioribus Codicibus nunc ſecundò aucta, eorundemq; collatione recognita, Notis vberrimis illuſtrata, hiſtoricaq; methodo diſpoſita, & in Tomos quatuor diſtributa.

Ad S. D. N. Paulum Papam V.

[illegible] IN

DVAS PARTES DIVISVS.

ADDITI SVNT INDICES DVO. VNVS RERVM, VERBORVM ET PONTIFICVM, Epiſtolarum Decretalium, & Conciliorum, ordine Alphabetico diſpoſitorum: Alter locorum ſacræ Scripturæ ſolo explicatorum.

PERMISSV SVPERIORVM.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Ioannis Gymnici, ſub Monocerote.
Cum Gratia & Priuilegio Sacr. Cæſar. Maieſtat.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI ET D. N. PAVLO QVINTO, PONTIFICI MAXIMO.

SEVERINVS BINIVS, METROP. ECCLES. *Colon. Canonicus, Sempiternam Fœlicitatem.*

BEATISSIME PATER, Adfero iterum ad pedes S. V. ea, qua decet, reuerentia & ſubmiſſione Concilia Græco contextu illo, qui ex Vaticana veſtra Typographia anno 1608. prodijt, locupletata omnia, quotquot ab exordio naſcentis Eccleſiæ ad hæc vſq; tempora, pro extirpandis hæreſibus, componendis ſchiſmatibus, moribuſque fidelium reformandis, diuerſis in partibus Chriſtiani Orbis, ſiue OEcumenica, ſiue certis nationibus ac prouincijs circumſcripta, congregatis in vnum Catholici gregis Præſulibus, geſta & celebrata fuerunt. Quibus viſum eſt adiungere, ac ſecundum temporum ſeriem interponere ea, quæ à Prædeceſſoribus veſtris, ſummis Apoſtolicæ ſedis Præſidibus, magno plerumque cum Eccleſiæ emolumento, vel per Epiſtolas Decretales, vel aliàs conſtituta, dicta, geſta ac peracta leguntur. Cumque his omnibus noſtræ tempeſtatis Nouatores hæretici, non ſecus ac ipſis diuinarum literarum monumentis inſita quaſi malitia abutantur, ſumma cura & ſtudio allaboraui, vt eadem ſarta tecta contra nefarios illorum conatus conſeruarentur, atq; ab iniuſtis fraudibus, varijſque impoſturis vindicarentur. Quem in finem annotationes vel ſcholia, quibus obſcura quæque illuſtrarentur, dubia & ambigua explicarentur, mutila ac deprauata emendarentur ac ſupplerentur, opportunis locis inſerui & adieci.

Quia vero præſtantiſſimus hic Orthodoxæ fidei theſaurus, ac locupletiſſimum Chriſtianorum dogmatum promptuarium, tot peruerſorum hominum inſidiis impetitum, magnum profecto Defenſorem Cuſtodemque deſiderat, non videbatur patro-

DIONYSII EXIGVI IN SVAM PRIMAM CANONVM COLLECTIONEM PRÆFATIO.

DOMINO VENERABILI MIHI, PATRI STEPHANO (SOLONITANO) Epiſcopo Dionyſius exiguus in Domino ſalutem.

QVAMVIS chariſsimus frater noſter Laurent. aſsidua & familiari cohortatione paruitatem noſtram regulas Eccleſiaſticas de Græco tráſferre impulerit, confuſione credo priſcæ tranſlationis offenſus: nihilominus tamē iniunctum tuæ beatitudinis conſideratione ſuſcepi, cui Chriſtus omnipotēs Deus inſolita populis pietate profuſus, ſummi ſacerdotii contulit dignitatem: vt inter plurima virtutum ornamenta, quibus Eccleſiam Domini moribus illuſtras ac doctrina, [illegible] ſanctiſsima mea Pontificalium per Dei gratiam dignitatis conuentuſque intemerata conſeruans, perfecto operum clarum [illegible], moderatorem, [illegible] noſtri labor in [illegible], per [illegible] conſiderare [illegible] noſtra atq; perſeueret, [illegible] adiumentum [illegible], quæ ſi præcipue, atque perfecti, profeſsionis [illegible] præſtet exempla. Magna eſt ſiquidem [illegible] auctoritas, cuius primatus iuſsa conſentientium, quatenus Eccleſiaſticæ ordinis diſciplina inconcuſſa permaneat, ad percipienda æterna præmia Chriſtianis omnibus præbet *acceſſum, per quam & ſancti Præſules paterna monentur exempla.*

**aſſenſum*

In principio itaque canones, qui dicuntur Apoſtolorum, de Græco tranſtulimus: quibus quia plurimi conſenſum non præbuere facilem, hoc ipſum ignorare veſtram noluimus ſanctitatem: quamuis poſtea quædam conſtituta Pontificum ex ipſis canonibus aſſumpta eſſe videantur. Deinde regulas Nicænæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, ſiue quæ antea, ſeu quæ poſtmodum facta ſunt vſque ad Synodum centum quinquaginta Pontificum, qui apud Conſtantinopolim conuenerunt, ſub ordine numerorum, id eſt, à primo capitulo vſque ad centeſimum ſexageſimum quintum, ſicut habetur in Græca auctoritate, digeſsimus. Tum ſancti Chalcedonenſis Concilij decreta ſubdentes, in his Græcorum canonum finem eſſe declaramus.

Ne quid præterea notitiæ veſtræ videamur velle ſubtrahere, ſtatuta quoque Sardicenſis Concilij, atque Africani, quæ Latinè ſunt edita, ſuis à nobis numeris [illegible] eſſe diſtincta. Vniuerſorum verò definitionum titulos poſt hanc præfationem ſtrictim ordinantes, ea quæ in ſingulis quibuſque ſunt promulgata Concilijs, ſub vno aſpectu locauimus, vt ad inueſtigandum cuiuſque rei compendium aliquod attuliſſe videamur.

(**)

ISIDORI MERCATORIS IN SVAM COLLECTIONEM CANONVM PRÆFATIO.

ISIDORVS peccator, ſeruus Chriſti, conſeruo ſuo & parenti fidei, in Domino S. Compellor à multis tam Epiſcopis, quam reliquis ſeruis * Chriſti, canonum ſententias colligere, & in vnum volumen redigere, & de multis vnum facere. Sed hoc me oppido conturbat, quod diuerſæ interpretationes varias ſententias faciunt, & licet vnus ſit ſenſus, diuerſæ tamen ſunt ſententiæ, & aliæ longiores, aliæ breuiores. Ea verò Concilia, quæ Græco ſunt edita ſtylo, amplius quàm tripliciter aut quadrupliciter interpretata atque conſcripta reperimus. Quod ſi veritas eſt quærenda è pluribus, Græcorum ſequamur ſtylum, eorumq; imitemur editiones atq; exemplaria. Sin minus, ipſi dicant atque exponant, quibus tot ſunt exemplaria, quot codices. Nobis tamen videtur, cùm in * noſtro diſcrepant ſermone, vt antiquitas & veritas ab ipſis quærenda ſit, quorum lingua edita eſſe noſcuntur. Quod & nos fecimus, & ſicut à veris & noſtris reperimus magiſtris, in volumine cui hæc præponitur præfatiuncula, inſerere curauimus.

† Dei

† Romana

Canon autem Græcè, Latinè Regula nuncupatur, Regula autem dicta, quod rectè ducit, nec aliquando aliorſum trahit. Alij dixerunt regulam dictam, vel quod regat, vel quod normam rectè viuendi præbeat, ſiue quod diſtortum prauumque quid corrigat. Synodum autem dicunt ex Græco interpretari comitatum, vel cœtum. Concilij verò nomen tractum ex more Romano. Tempore enim quo cauſa agebatur, conueniebant omnes in vnum, communiq; intentione tractabant. Vnde & Cōcilium à communi intentione dictum, quaſi concilium, & conſiliū quod ſic coniūgitur in L literam tranſeunte. Vel Concilium dictum ex communi intentione, eò quod in vnum omnes dirigant mentis obtutum. Cilium enim oculorum eſt. Vnde & qui ſibimet diſſentiunt, non agunt Concilium, quia non ſentiunt in vnum. Cœtus verò, conuentus eſt vel congregatio, à coeundo, id eſt, conueniēdo in vnum. Vnde & conuentus eſt nuncupatus, quod omnes ibi conueniunt. Et ſicut conuentus cœtus, ſic Concilium dicitur, à ſocietate multorum in vnum.

In principio verò voluminis huius, qualiter Concilium apud nos celebretur, poſuimus, vt qui noſtrum ordinem ſequi voluerint, ſciant qualiter hoc agere debeant. Qui autem hoc agere melius elegerint, faciant quod iuſte, canonicoque atque ſapientiſſimo conſilio iudicauerint. Denique propter eorum authoritatem cæteris Concilijs præpoſuimus canones, qui dicuntur Apoſtolorum, licet à quibuſdam apocryphi dicātur, quoniam plures eos recipiunt, & ſancti patres eorum ſententias ſynodali authoritate roborauerunt, & inter canonicas poſuerunt conſtitutiones. Deinde quorundam epiſtolarum decreta virorum Apoſtolicorum interſeruimus, id eſt, Clementis, Anacleti, Euariſti, & cæterorum Apoſtolicorum, quas potuimus hactenus reperire epi-

vant, præſumitur, ſine cunctatione caſſatur; vt quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur. Et epiſtola ad S. Pulcheriam: Quoniam contra ſtatuta paternorum canonum, quæ ante longiſſimæ ætatis annos in vrbe Nicæna ſpiritalibus ſunt fundata decretis, nihil quidquam audere conceditur; ita vt ſi quis diverſum aliquid decernere velit, ſe potius minuat, quàm illa corrumpat: quæ ſi (vt oportet) à cunctis Pontificibus intemerata ſeruentur, per vniverſas Eccleſias tranquilla erit pax, & firma concordia, nulla de menſuris harum diſſenſiones, nulla de ordinationibus lites, nullæ de priuilegiis ambiguitates, nulla erunt de aliena vſurpatione certamina, ſed ea qua iure charitatis rationabilis eſt, & morum & officiorum ſeruabitur vnanimitas. Et in epiſt. lxvi. Tanta apud me eſt Nicænorum canonum reuerentia, vt ea quæ ſunt à ſanctis Patribus conſtituta, nec permiſerim, nec patiar aliqua nouitate violari, &c. Sanctus Gregorius ſicut ſancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari ſe fatetur, Nicænum ſcilicet, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe. & alibi inquit: Nos generales Synodos à Nicæna incipientes, cum reliquis quatuor veneramur, quia ipſam ſequentes in cunctis ſententiis vnanimes concordant.

a Epiſt. 55.

a Epiſt. 24. lib. 1.

a Epiſt. 37. lib. 7. Indict. 2.

ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ ΑΙ ΠΡΟΦΘΑΣΑΣΑΙ ΤΗΝ ΕΝ ΝΙΚΑΙΑι ΣΥΝΟΔΟΝ.

EPISTOLAE QVAE ANTECESSERVNT CONCILIVM NICÆNVM.

EPISTOLA ALEXANDRI EPISCOPI ALEXANDRIAE.

Dilectis & honorabilibus, qui vbique ſunt, catholicæ Eccleſiæ comminiſtris, Alexander in Domino Sal.

Ex Socr. lib. 1. cap. 3. Epiph. 4. c. 3.

CVm ſit vnum corpus Eccleſiæ catholicæ, cumque in diuinis Scripturis præceptum ſit, vt concordiæ ac pacis vinculum ſeruemus; conſentaneum eſt, vt quæ apud vnumquemque noſtrum geruntur, literis mutuo ſignificemus; quò ſiue vnum ex membris patitur, ſiue lætatur, nos inter nos vel patiamur vnà, vel vnà lætemur. In noſtra quidem prouincia prodierunt iam viri, qui leges violant, Chriſto aduerſantur, & defectionem docent, quam Antichriſto viam præmunire, iure optimo quis exiſtimare ac dicere poſſit. Oportuerat certe, eiuſmodi ſcelus atque flagitium ſilentio tectum eſſe, vt hoc tantum inter ipſos ſolos deſertores & apoſtatas extingui ac deleri poſſet, ne in alia loca emigrans, ſimplicium quorundam aures ſuis ſordibus inficeret. Verum quoniam Euſebius, qui nunc Nicomediæ Epiſcopus eſt, quique totum Eccleſiæ ſtatum in ſe ipſo poſitum arbitratur, (cum à nemine quòd Eccleſiam Beryti deſeruerit, quodque oculos cupiditatis atque ambitionis ſuæ ad Epiſcopatum Eccleſiæ Nicomedienſis adiecerit, in ſe animaduerſum eſſe videat) iſtorum etiam qui ab Eccleſia defecerant, patrocinium ſuſcipit, & ad omnes vbique literas ſcribens, eoſdem commendat, quò imperitos quoſdam in grauiſſimam hæreſim, Chriſtoque penitus aduerſariam rapiat: neceſſe habui, cum ſciam quid in lege ſcriptum eſt, amplius non tacere; ſed rem ipſam, vti eſt, vobis omnibus denuntiare: ne vel eos qui defecerunt à Chriſto, vel eorum dicta atque ſententias execrandas ignoretis; aut Euſebio (ſi forte is ad vos ſcripſerit) vllo pacto acquieſcatis. Nam inueteratam ſuam maleuolentiam ſilentio ad tempus velatam & tectam, iam per iſtos renouare ſtudet: & licet ſimulatione quadam præ ſe ferat, ſe eorum cauſa ſcribere; re tamen ipſa declarat, ſe ſui ipſius cauſa laborare. Qui ergo defecerunt ab Eccleſia, ſunt Arius, Achillas, Aithales, Carpones, Arius alter, Sarmates, Euzoius, Lucius, Iulianus, Menas, Helladius, Caius, Secundus item, & Theonas, qui dicti ſunt olim Epiſcopi. Quæ verò iſti contra Scripturam excogitarunt, temereque effutierunt, ea ſunt huiuſmodi: Deum non ſemper Patrem fuiſſe; ſed tempus aliquando extitiſſe, cum Deus non eſſet pater: Non ab æterno Dei Verbum fuiſſe, ſed ex nihilo ortum eſſe. nam Deum qui eſt, eum, qui non erat, ex eo quod non eſt, procreaſſe, & propterea tempus fuiſſe aliquando, cum non eſſet. creatum enim & factum

1. Cor. 1. 2. de. 26.

Luc. 19. 1. 17.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ Ἀλεξανδρείας.

Τοῖς ἀγαπητοῖς καὶ τιμιωτάτοις συλλειτουργοῖς τοῖς ἁπανταχοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, Ἀλέξανδρος ἐν κυρίῳ χαίρειν.

Ἑνὸς σώματος ὄντος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ἐντολῆς τε οὔσης ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς τηρεῖν τὸν σύνδεσμον τῆς ὁμονοίας καὶ εἰρήνης· ἀκόλουθόν ἐστι γράφειν ἡμᾶς καὶ σημαίνειν ἀλλήλοις τὰ παρ᾽ ἑκάστοις γινόμενα, ἵνα εἴτε πάσχει, εἴτε χαίρει ἓν μέλος, ἢ συμπάσχωμεν, ἢ συγχαίρωμεν ἀλλήλοις. Ἐν τῇ ἡμετέρᾳ τοίνυν παροικίᾳ ἐξῆλθον νῦν ἄνδρες παράνομοι καὶ χριστομάχοι, διδάσκοντες ἀποστασίαν, ἣν εἰκότως ἄν τις πρόδρομον τοῦ ἀντιχρίστου νομίσειε, καὶ καλέσειε. Καὶ ἐβουλόμην μὲν σιωπῇ παραδοῦναι τὸ τοιοῦτον, ἵν᾽ ἴσως ἐν τοῖς ἀποστάταις μόνοις ἀναλωθῇ τὸ κακόν, καὶ μὴ εἰς ἑτέρους τόπους διαβὰν ῥυπώσῃ τινῶν ἀκεραίων τὰς ἀκοάς. Ἐπειδὴ δὲ Εὐσέβιος ὁ νῦν ἐν τῇ Νικομηδείᾳ, νομίσας ἐπ᾽ αὐτῷ κεῖσθαι τὰ τῆς ἐκκλησίας, ὅτι καταλείψας τὴν Βηρυτὸν, καὶ ἐπιθυμήσας τῆς ἐκκλησίας Νικομηδέων, οὐκ ἐκδεδίκηται κατ᾽ αὐτοῦ, προΐσταται καὶ τούτων τῶν ἀποστατῶν, καὶ γράφειν ἐπεχείρησε πανταχοῦ συνιστῶν αὐτούς, ὅπως ὑποσύρῃ τινὰς ἀγνοοῦντας εἰς τὴν αἰσχίστην ταύτην καὶ χριστομάχον αἵρεσιν· ἀναγκαῖον ἡγησάμην, εἰδὼς τὸ ἐν τῷ νόμῳ γεγραμμένον, μηκέτι μὲν σιωπῆσαι, ἀναγγεῖλαι δὲ πᾶσιν ὑμῖν, ἵνα γινώσκητε τούς τε ἀποστάτας γενομένους, καὶ τὰ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν δύστηνα ῥήματα. καὶ ἐὰν γράφῃ Εὐσέβιος, μὴ προσέχητε. Τὴν παλαιὰν γὰρ αὐτοῦ κακόνοιαν, τὴν χρόνῳ σιωπηθεῖσαν, νῦν διὰ τούτων ἀνανεῶσαι βουλόμενος, σχηματίζεται μὲν ὡς ὑπὲρ τούτων γράφων, ἔργῳ δὲ δείκνυσιν, ὡς ὑπὲρ ἑαυτοῦ σπουδάζων, τοῦτο ποιεῖ. Οἱ μὲν οὖν ἀποστάται γενόμενοί εἰσιν, Ἄρειος, Ἀχιλλᾶς, Ἀειθαλῆς, καὶ Καρπώνης, καὶ ἕτερος Ἄρειος, καὶ Σαρμάτης, καὶ Εὐζώϊος, καὶ Λούκιος, καὶ Ἰουλιανὸς, καὶ Μηνᾶς, καὶ Ἑλλάδιος, καὶ Γάϊος, καὶ σὺν αὐτοῖς Σεκοῦνδος, καὶ Θεωνᾶς, οἱ ποτὲ λεχθέντες ἐπίσκοποι. Ἃ δὲ παρὰ τὰς γραφὰς ἐφευρόντες λαλοῦσιν, ἔστι ταῦτα· Οὐκ ἀεὶ ὁ Θεὸς πατὴρ ἦν, ἀλλ᾽ ἦν ὅτε ὁ Θεὸς πατὴρ οὐκ ἦν. Οὐκ ἀεὶ ἦν ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, ἀλλ᾽ ἐξ οὐκ ὄντων γέγονεν. Ὁ γὰρ ὢν Θεὸς, τὸν μὴ ὄντα ἐκ τοῦ μὴ ὄντος πεποίηκε· διὸ καὶ ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν. Κτίσμα γάρ ἐστι καὶ ποίημα

ὁ υἱός.